

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Andreas Tscherning

**Rector Universitatis Rostochiensis Andreas Tscherningius, Poet. Prof. ordinarius  
Ad Solemnia Pentecostes Summa cum animorum devotione celebranda Omnes  
Academiae Cives serio adhortatur**

Rostochii: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734827911>

Druck    Freier  Zugang



Ru Progr. 1649

1) Joach. Schnobel

2) " Tischering

3) Andreus Tischering

4) Joach. Stochmann

(5) Sebastian Meier Stadtkon Proze)



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734827911/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734827911/phys_0002)



RECTOR  
Universitatis Rostochiensis  
**ANDREAS TSCHERNINGIUS,**  
Poët. Prof. ordinarius

*Ad*  
**SOLEMNIA**  
PENTECOSTES

Summâ cum animorum devotione,  
celebranda.

*Omnes Academia Cives serio adhortatur.*



ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILLI, Acad. Typographi  
ANNO M. DC. XLIX.

**N**emo non Christianorum,  
opinor, agnoscit, nemo non  
profitetur, tantam esse ope-  
rum ac beneficiorum DEI,  
cum maximè eorum, quibus sese illu-  
strius & clarissimi generi humano patefe-  
cit, maiestatem & amplitudinem, ut  
meditationi eorum temporis ac studij  
satis nunquam tribuere posse videa-  
mūr, si vel maximè nos totos totiusque  
vitæ nostræ decursum huc impenda-  
mus, nedum si diem unum vel alterum  
in id incumbamus. Neque tamen rati-  
one caret vetus illa, omniumque po-  
pulorum, qui CHRISTO quidem  
Conservatori nostro nomina dederūt,  
observatione usuque comprobata cō-  
suetudo, ut tum statim temporibus cer-  
ta

ta quædam beneficia Dei anniversariâ  
solemnitate recolantur, tum vero dies  
hodiernus publicæ celebrationi admirandæ SPIRITVS SANCTI effu-  
sionis super Apostolos in Ecclesia tri-  
buatur. Is enim hodie instar venti ex  
alto ruentis, visibili linguarum dis-  
sectorum ignearum specie, non super  
paucos quosdam Patriarchas & Pro-  
phetas, nec modicè & obscurè ut olim  
sub veteri testamento: sed intimis cœ-  
li penetralibus reseratis & latissimè  
apertis, ingenti copiâ maximâque  
ubertate, illustri multisque testium  
myriadibus conspicuo miraculo, Hie-  
rosolymis Judææ metropoli , super  
duodecim Apostolos totamque Apo-  
stolorum Ecclesiam, atque adeo super  
omnem carnem, juxta Joelis prophe-  
tiam effusus prædicatur. Quod incom-  
parabile favoris atque clementiæ divi-

næ documentum ne unquam animis nostris ef-  
fluat, sed æternâ memoriâ inter nos vigeat, quo-  
annis circa id tempus, quo olim à DEO editum,  
absque superstitione, bono ac laudabili institu-  
to, eademq; ratione in Ecclesia celebratur, quâ  
ipse etiam DEUS quondam certa quædam & præ-  
cipua beneficia sua certis quibusdam diebus fe-  
stis anniversariâ solemnitate celebrari voluit.  
Quæ cum ita sint, nostrum etiam protectio est, CI-  
VES A C A D E M I C I , hunc diem repetendæ  
ac celebrandæ memoriarum SPIRITUS SANCTI  
mirabiliter quondam effusi gratis mentibus læ-  
tisq; vocibus impendere. Miretur autē nō nemo  
cur tam insueto planeque admirando modo DE-  
US fidelibus suis initio novi fœderis Spiritum su-  
um impertiri voluerit. Requirebant id primum  
oracula plurimis seculis ante per Prophetas de  
Spiritus sancti super Apostolos & universam Ec-  
clesiam in regno Christi effusione, edita: quæ  
non minus quam alia de morte, resurrectione,  
glorificatione & beneficiis Messiae implenda fu-  
isse extra controversiam esse debet. Inter cete-  
ra celebre est illud vaticinium Joëlis, quo Deus:  
*Post hæc, inquit, erit: effundam Spiritum meum su-*  
*per omnem carnem & prophetabunt filij vestri & filiæ*  
*vestræ: senes vestri somnia somniabunt, juvenes ve-*  
*stri visiones videbunt. Quin & super servos meos &*  
*super*

10  
super ancillas effundam Spiritum meum. Quam prophetiam evidentissimam, interq; omnes hu-  
jus generis alias instar clarissimi sideris fulgen-  
tem ipse Petrus Apostolus allegavit in Penteco-  
ste, eamque miraculo tum facto impletam esse  
adversus calumnias improborum firmissimis  
argumentis demonstravit. Ad oracula porrò  
prophetarum variæ de eodem beneficio ipsius  
**CHRISTI** promissiones accedunt. *Ego, inquit*  
ad Apostolos, *patrem rogabo & Galium Consolatorem*  
*dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum.* Et alibi:  
*Ego veritatem dico vobis ut abeam, nisi enim abierto*  
*Consolator ille non veniet ad vos.* Nec postrema sta-  
tuenda est causa, glorificatio Messiæ. Siquidem  
ipse eo declaravit se ad dextram Dei evectum esse  
*Quo etiam pertinet quod ipse de Spiritu venturo*  
dicit; *ille me glorificabit.* Ipsum insuper offici-  
um Spiritus sancti requirebat, ut copiosè in Apo-  
stolos, & in totam Ecclesiam effunderetur. Nam  
sive publicum ejus mun<sup>o</sup>, quod per Ministerium  
verbi in Ecclesia exercebat, sive privatum quod  
Apostolis & singulis fidelibus præstat, spectemus  
utrumq; certè copiosam ejus missionem postu-  
lavit. Publici enim officii ipsius partes tres præ-  
cipuas declarat Conservator ipse: quando arguet,  
inquit, mundum de peccato, quia non credunt in me:  
*Dei justitia, quia ad patrem vado: de iudicio, quia*  
*princeps mundi condemnatus est.* Privato officio

tum in Apostolis tum in omnibus electis ita fun-  
cturus erat, ut in omnem veritatem ipsos duce-  
ret, ut inquam, illorum mentibus magnū quod-  
dam lumen infunderet, quod fulgore suo erro-  
rum caligine & nebulis dispulsis lucidissimam  
redderet semitam, quā ad doctrinæ cælestis ve-  
ram ac salutarem pervenitur cognitionem, & in  
hac semita ipse iis se fidelissimum ducem præbe-  
ret, quem sequentes nunquā vel latum unguem  
in devia deflecterent. Denique & Ecclesiam  
non solum præstantibus suis donis benignè im-  
plere, sed etiam Deo & Christo capiti unire at-  
que omnium ejus beneficiorum participem face-  
re debuit Spiritus sanctus qui unus id potest Nec  
aliter templo Dei sumus, nisi cum Spiritus san-  
ctus est in nobis, quem habemus à Deo, ut testa-  
tur Apostolus. Ipse est copula unionis nostræ  
cum CHRISTO, ipse corda agglutinat, & fi-  
dem facit quod à DEO in filios adoptati simus,  
quemadmodum doctor ille aurei oris loquitur.  
Fide acceptatur à nobis meritum CHRISTI.  
Fides verò Spiritus sancti effectum est proprium,  
quod non impetrant nisi illud serio à Deo peten-  
tes; non petunt autem nisi in quibus Spiritus san-  
ctus preces accedit. Sed quid ego prolixius hæc  
disputem,

*ISTA docent hodie, docturi porro Magistri  
Sacerorum, quos igne suo sacer HALITUS afflat.*

In

Incubite in id, CIVES ACADEMICI, omni  
conatu ut festum hoc solemne eā qua par est ani-  
morum devotione celebretis & à vitiis manum  
ac mentem abstineatis. Quicquid fœdis delicto-  
rum sordibus est inquinatum, hoc Spiritus san-  
ctus odio habet, & fugit.

Nocturno certare mero, putere diurno

Nunc commune malum est, & nostris pestile Sacris.

Quin potius, si tanta sitis rabiesq; bibendi est,

Ducite Apostolici succum de germine musti.

Hos quoq; lacrorum mystas hodieq; celebrat

Ebrietas; non illa feri Semeleia Bacchi.

Sed vinide Vite novâ; de palmita Christi;

E superum cellâ quod vis arcana profudit

In cor Apostolicum: vinum, quod pectoris imas

Latificat fibras, non cor dementat.

Oremus D E U M supplices, ut Spiritus sui ductu  
& magisterio perpetuò nos regat, & pro bonita-  
te sua incomparabili non in nobis modò, tam  
saluti, quam singulorum vocationi necessaria-  
dona Spiritus sui excitet, augeat & conservet:  
sed eadem super omnem carnem effundat, hoc  
potissimum exulceratissimo seculo, ut multi ad  
agnitionem veritatis adducti, eandem persequi  
desinant. Petamus nos sanctificari in veritate, &  
robore spiritus cœlestis sic confirmari, ne impa-  
tientiâ vieti contra officium ruamus, neve spiri-  
tum

tum arrhabonem nostrum aliqua ratione con-  
tristemus. Ego verba præibo:

**SPIRITUS** ô ter - sancte veni, propiorque vi-  
brantes

*Stricturas emitte tuae divinitus auræ.*

**SPIRITUS** ô ter - sancte veni: Pater alme  
tuorum,

*Quos humiles fervente sui mens pauperat astro.*

**SPIRITUS** ô ter - sancte veni, qui munera certis  
Dispensas sua cuiq; modis; spem porrò Fidemq;  
Ac carum nobis per mutua suffer amorem:

*Disjice pectoribus vitiorum nubila, puris*

*Utte vimq; tuam possint sentiscere fibris.*

*Repinus in tenebris sine te: cum nulla salutis*

*Nulla opis appetet ratio; tu sola voluptas*

*Solamenque malis, illabere cordibus: Ecum*

*Conscia mens nox& gliscente tumultuat astu,*

*(Delitium nobis, hospes dulcisime!) præjens*

*Luctanti succurre anima: ne forte periclis*

*Exspes auxiliij, Errerum omnium egna, fatiscat:*

*Sed docilis superare, tuo se numine firmet.*

P. P. Rostochi sub sigillo Academiæ, teriâ primâ

Pentecostes, Anno clo Icc XLIX,





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734827911/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734827911/phys_0011)






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734827911/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734827911/phys_0012)



naxis decantandis: vel Bonorum  
præclarorum Virorum rebus ge-  
riclitantur: At longè rectius, quæ  
ceditur, otium, in beneficiis Soli  
CHristi prædicandis, iisq; quæ  
tione celebrandis consumunt,  
ejus Nativitate; vel crudelissima  
vel de salutari resurrectione: ve-  
dem ascensione, versus, non  
stans ducentos in hora dictabat  
ponunt, & hac ratione animum  
flictum, & perculsum excitant,  
gunt, & solantur: nec non studi  
quo ad immensum sapientia  
strant. Hic labos, si labos, & ne-  
cendus est, ut omni difficultate  
ita quoq; voluptate, & utilitate  
perioribus mensibus probè secu-  
tissimus, Præstantissimusq; Vir  
B E C H O V I U S, S.S. Theologiae Stu-  
beccensis Collega industrius. Hi-  
cumfluat, & abundet, sed sempe  
que, quod agat, habeat: ferias ta-  
cationes à laboribus scholasticis  
bus, quæ veræ recreationes sun-  
t obambulationibus, commessat  
vis conviviis, idq; geni s aliis, c



the scale towards document

endo: vel  
pendis pe-  
uod con-  
stri JESU  
igatà ora-  
dmiranda  
& morte:  
riosa ejus-  
uno pede  
ratos com-  
mnisq; af-  
alios eri-  
uti amnē,  
iat, mon-  
equies di-  
cia vacat:  
Hoc su-  
dit Erudi-  
tus TRIB-  
Scholæ Lu-  
p non cir-  
privatim-  
nes, & va-  
reditationi-  
re; quæm  
ntempesti-  
s, tūm ani-  
mam

Image Engineering Scan Reference Chart TE03 Serial No. \_\_\_\_\_